

2413

/ Serenissime Princeps

Accepi literas, quas nomine Serenitatis vestrae mihi reddiderunt Oratores ejusdem vestrae Serenitatis, et simul cognovi ex iisdem Oratoribus, Serenitatem vestram optime affectam esse erga Pontificem nostrum Gregorium, et universam Romanam Ecclesiam, pro qua benevolentia gratias agimus, et Deum precamur, ut inclitam Rempublicam vestram, et ejus Principem cum universo Senatu, et populo protegere, et conservare dignetur. Romae die 28. Maii 1621.

Serenitatis Vestrae studiosissimus atque addictissimus

10

Robertus Card/lis Bellarminus

Ser/mo Venetiarum Duci.

Venise. Archivio di Stat. Collegio Lettere Cardinali 1621=1627. Meme
date, meme source:

2414

/ Serenissime Princeps

Orator Serenitatis Vestrae, nobilis vir Raynerius Zeno, quem ad Summum Pontificem eadem vestra Serenitas Oratorem misit, me quoque amanter salutavit, et de optima voluntate erga me vestra certiore reddidit. Ego vicissim Serenitati vestrae immortales gratias ago, et occasionem aliquam mihi offerri cupio, qua promptum animum meum ostendam serviendi inclitae Reipublicae vestrae. Interim divinam Maiestatem precari non desinam, ut eandem ipsam gloriosam Rempubli-
cam, et ejus Ducem Serenissimum, protegere, extollere, et magis, ac ma-
gis clarificare dignetur. Datum Romae die 28 Maii 1621.

Serenitatis V'rae,

Addictissimus famulus

Robertus Card/lis Bellarminus

Ser/mo Venetiarum Duci.

15

Ibid.